

V.

F. C. Schotti,

De Nummo Phidonis ar-

genteo , in Regia Brandenburgensi Gaza asservato ,
Disquisitiono Antiquaria ;

quâ

Dubia de hujus nummi fi-

de mota removentur , genuina & eximia ejus vetustas ad-
struitur , simulque evincitur , ut vetustissimum , ita
summo jure pro singulari rarissimoque eum
esse habendum.

Hunc nummum, quem juxta magnitudine mea manu accuratè delineatum æriq;e inscriptum iterum hîc sisto, [Fig. 3] à Clariss. Begero Fig 3. Avunculo meo dum viveret optimo, in The-sauri Regii Brandenburgensis Tomo primo pag. 279. jam evulgatum , ac debita luce esse donatum , eorum neminem fugere potest, qui deliciis hujusmodi capiuntur. Ut publico eum denotio proponam , in causa fuit sinistrum judicium , quò rarissimi hujus nummi fidem in dubium vocavit Vir in Eruditorum corona propemodum Princeps. Prærogativam hanc jure meritoque Ipsi deberi, nemo certè ambiget , quam primùm noverit , Eum esse Præstantissimum Othonem Sperlingium, dignitate clarissimum doctissimisque operibus in lucem editis nemini igno-tam. Adversus tanti nominis Virum, inque Veterum num-morum noticia celeberrimum assurgere me audere mirabe-ris forsan benevole Lector. Fateor hanc considerationem initio statim à proposito me deterruisse : & abstinuisssem fanè ab eo, nisi obtulissent se rationes , quibus elegantissimi hujus nummi *avduntur* ac genuinum valorem indubiè evin-ci posse

ci posse confiderem. Tales autem cum suppetant; officii etiam ratio exigere à me videbatur, ut Regiæ hujus Gazæ custos rarissimi cimelii causam susciperem, simulque defungerer pietate in Avunculum, cujus famam seu fidem hac in parte convelli, vel aliquo in discrimine versari cognoveram, eas proferre, Eruditorumque examini ac judicio subijcere mei muneris mearumque partium esse judicavi. Ea fiducia fretus, fore, ut Clariss. Vir, lectis & perpensis rationum momentis ac ponderibus, sententiam meam haud ægrè amplectatur, manusque det veritari, quam ardentius alias amore profèquitur, strenuèquè defendit.

Rationes autem antequam attingam, quo melius ex percipiantur, operæ erit pretium, quid de hoc nummo Doctissimus Vir tradiderit, quidve in eo carperit, simul hic oculis subijcere, fundamentaque, quibus nititur, paulo attentius examinare. Ordine tamen ut hoc fiat, Lectorem monitum volumus, neminem huc usque gloriam Phidoni nostro debitam, ob inventam nummos signandi artem, vindicasse melius ac solidius adstruisse laudato eo ipso Sperlingio. Evicit hoc in Opere Eruditissimo, quod haud ita pridem de *Nummis Non Cusis* edidit, in quo pag 6. hunc in modum loquitur: *Hi (nummi cusi) nusquam fuerunt apud antiquissimos, sive in Asia, sive in Græcia, sive alibi, usque dum Phidon in Græcia novo illo invento cudiendi nummos se primus probavit, & celebrem ac utilissimam hanc artem fecit. Et paullo post pag 7. In nullum sanè sic consentiunt antiqui Scriptores, ac in Phidonem, ideoque hunc cæteris ut certiores auctores proponimus in istis antiquis recipiendis & diiudicandis. Nam hinc quoque est quod pondus Arginæ reliquis gravius sit, quod ibi à Phidone ceperint, & constituta sint pondera graviora, & majores mensura, quam post reliqua Græcia observavit, nimirum quod Argina prius, quam reliqua Græcia, Ponderibus, Nummis & Mensuris studuerit. Nam plerumque posteri his detrahunt, & leviora ac minora*

ra ho-

⁂ hodierni prae antiquis in ponderibus & nummis & mensuris sequuntur. Et pag. 8. Phidon igitur primus Drachmas argenteas, hactenus sine charactere usuales, ut loquuntur, ad cuneum vocavit & signum publicum sub malleis recipere docuit; hoc non edoctus ab Asiaticis, sed ex suo ingenio &c. Et iterum pag. 9. Navigent ergo quam diu velint tam Phoenicii quam Graeci, commerciorum ad invicem causa, nullum profecto mihi nummum cunsum ante Phidonem Graecum & Argivum illorum exculpent commercia: ne vestigium quidem ullum apud alios nummorum cunsum superest ante Phidonem. Plures huiusmodi sermones ex laudato Praestantissimi Sperlingii de Nummis non Cunis opere afferri possent; sed ex allatis jam quilibet opinor intelligit, Phidonis nostri, ob nummum primum ab ipso cunsum, singulare meritum clarissime ob oculos poni, neque ullum superesse dubium, quo minus hoc factum firmiter credatur; quod effatum etiam suum Eximius Sperlingius l. c. pluribus argumentis fulcit, indubiusque corroborat Auctorum testimoniis.

Cum autem quaestio duplex hic oriatur, an videlicet ex nummis istis Phidoneis, quos fabricatos olim fuisse certo certius liqueat, hodiernum aliqui supersint? an etiam ille quem Cl. Begerus in Thesauro Regio Brandenburgensi protulit, pro tali sit habendus? Utramque quaestionem hac quaecunque Disquisitione tractare ac discutere mihi proposui; ideo potissimum quod diversum abeam ab Eruditissimi Sperlingii sententia, qui pag. 11. laud Operis negativam amplectitur his verbis: *Exstant quidem Phidoni nummi apud Antiquarios, ut in Thesauro Brandenburgensi, per Nobiliss. Begerum edito, Denarii Romani magnitudine et quod excedit, cuius prima facies scutum excisum ancile ostendit, altera urceum et ivam, per medium Φ - Δ - Θ . Ad mensuras à Phidone constitutas respici hoc arceo nullus dubito: sed illum illique similes nummos esse ex iis quos Phidon ille apud Aeginenses percussit, non ego quidem statuam, ut statuit Begerus.*

Hiscæ verbis in propatulo est Cl. Sperlingium inficiari, genuinos nummos Phidoneos hodiè exstare, Regium etiam Brandenburgensem pro tali ab ipso non haberi clarum est. Tentabimus igitur pro virili investigare causam, quâ motus Celeb. Vir Begeri sententiam rejecerit, & calculum negaverit nummo, Eruditorum omnium suffragiis dignissimo. Mirari certè satis nequeo, nec assequi possum, qui Celeb. Vir Begero non subscripserit hunc nummum genuinum pronuntianti? Hic enim multum diuque Regium hunc nummum, utpote custodiæ suæ commissum, versavit & perscrutatus est; cum Ille neque hunc neque similem unquam viderit, ideoque conficere hocce negotium haud potuerit, atque potuit Begerus in Veterum hujusmodi nummorum tractatione optime alias exercitatus, quique si minimum novitatis vel recentioris, ut ita loquar, antiquitatis notam in hoc nummo animadvertisset, pro genuino eum & adeò vetusto obtrudere publico non fuisset ausus. Asseverare enim confidentissime possum, ne unico quidem suspecto nummo in Cimeliarchii Regii multiplici serie locum indulgisse Begerum, nedum ut credi possit, tales operose adeo & luculenter, quemadmodum in hoc nummo id præstitum videmus, explanatos ab Eo fuisse ac dilucidatos. Complures sane alios, pretio ac raritate insignes nummos Regia hæc Gaza suppeditavit, ut necesse non fuerit tales fucos in Theaurum legere, atque Publico pro cimeliis venditare; quod fecisset Begerum, an unico saltem exemplo ostendi possit, vel quovis pignore decertarem. Ut proinde, si alia forsan in causa, in hac profecto Ejus effatum fidem meruisse censendum sit. Me enim si audis, eosque qui harum rerum gnari elegantissimum hunc nummum subinde contemplantur, vix alius invenietur Græcus nummus argenteus, quem plura commendent ac certiora insignis vetustatis *κρητήρια*; id quod extra omnem dubitationis aleam ponent, ut spero, subsequentes rationes, quas in ejus defensionem afferendi erit locus.

Agendum nunc foret de rationibus quas adtulit Cl. Sperlingius

lingius ad infringendam rarissimi hujus nummi fidem, ut penitus noscatur, an jure hoc ab ipso sit factum, an injuria? Sed satisfacere Lectori non potero, cum mihi ipsi non poterim, inveni enim planè nullas. Nisi quis pro ratione habere velit simplicem rejectionem in verbis modo allatis, quibus Cl. Sperlingius *se hunc, illique similes nummos esse ex illis, quos Phidon ille apud Aeginenses percussit non statuere, ut statuit Begerus*, aperte profitetur. Gravioris certè momenti adversus hunc nummum nihil, etsi curiose satis inquirerem, in toto ejus opere deprehendi.

Ut tamen quod animus suggerit liberè proferam, suspicor Eruditissimum Virum ex magnitudine nummi, quem ex addita per Begerum litera γ tertiæ magnitudinis, quam præferre iidem ut plurimum solent nota, Romanum esse Denarium colligere videtur, ut verba ejus modo allata innuunt, de nummi etiam pondere continuo coniecisse. Nummis autem Aeginæis cum Denarii gravitate non respondeant, ideo procul dubio credit, ipsi Phidoni hunc nummum tribui non posse, sed in memoriam tantum utilissimi hujus inventi ejusque inventoris à seris demum posteris eum fuisse conflatum. In sequentibus Cel Sperlingii verbis opinionis hujus basin me reperisse autumo: *Aeginæum pondus, inquit pag. 190 in variis nummis superest, & conspicitur etiam in illis qui apud Aeginæos cusi non sunt, ut in χελωνιας à testudine quam insculptam habent.* De Aeginensium, vel ut vult Sperlingius in alio quodam Peloponnesi loco signato nummo, à Cl. Begero Tom I, pag 447. prolato ac dilucidato loquitur Vir Doctissimus, in quo hinc Testudo, unde χελωνιας *Chelones* dicti olim hi nummi, illinc vero Quadrum in quinque partes divisum cum inscriptione ΑΙΤΙ conspicitur; quem nummum accuratè & justa magnitudine mea manu delineatum, ut eo facilius judicari hac de re postmodum possit, in Lectoris gratiam hic simul addo. (fig. 4.)

Fig. 4.

De hoc nummo Eximius Sperlingius l. c. ita pergit

*Quicquid sit, parum interest an Aegii nummus prodierit, an Aeginae pondere, utrumque enim occurrere potest in hoc nummo; Nam de Aeginae pondere non dubito, quoniam quartae magnitudinis exhibetur, plurimis infra eum in hoc Thesuro (Regio Brandenburgensi) prolatis. Vides Benevole Lector, Virum Doctissimum in hoc Aegien-
 sum nummo pondus Aeginae, & rectissime quidem agnos-
 cere, ideo potissimum quod non tertia is, quemadmo-
 dum Phidoneus sed quarta magnitudine à Cl. Begero fue-
 rit exhibitus; ut hinc liquidum sit non aliam ob causam Sperlingium inique adeo de hoc nummo sentire; quam quod
 tertiae magnitudinis nummus, qualis noster Phidoneus,
 quoad pondus congruere sibi non videatur cum illo, qui
 quarta magnitudine, quae in Aegienfi observatur, & quo
 cum noster, juxta Sperlingium magnitudine convenire ne-
 cessario debuisset, est conspicuus. Conjectura suffragatur
 nummi in adversa typus, clypeus nempe Bœotius, (ut be-
 nè jam monuit Illustrissimus Spanhemus in Opere excel-
 lentissimo & verè aureo *De Usu et Praestantia Numismatum*
An. 1. novum, Diss. I. Ed. Lond p 20.) quem pro Ancili
 habuit Doctissimus Sperlingius. Hoc autem armorum ge-
 nus cum sit Romanum, sub Numa demum Pompilio, altero
 Romanorum Rege de caelo, ut fertur, delapsum, indeque
 in Denariis Romanis obvium, hinc procul dubio credidit,
 & nostrum non nisi Denarium esse. Neminem jam fore
 arbitror, qui quin conjectura de nummo nostro Phidoneo
 à Cl. Sperlingio pro denario habitus, ideoque eliminato,
 probabilitate gaudeat, vel leviter saltem addubitaverit. Sed
 hac Doctissimi Viri sententia quam infirmo stetero, solus
 nummi conspectus ejusque pondus illico ostendunt. Ad
 Ancile quod attinet, diversa admodum ejus fuit figura, &
 à clypeo numismatis nostri planè aliena. Fidem ut faciam
 nummum produco P. Licinii Stolonis, in Regia Brandenbur-
 gensi Gaza asservatum, (Fig 5.) in cujus altera facie, ut
 Vaillantius arbitratur, Augustus civibus ac Signis militari-
 bus*

Fig. 5.

bus à Parthis feliciter recuperatis, Senatus Decreto exans in Urbem rediens; unde & sacrificia illi, & Martis Ultoris in Capitolio templum, quo Signa ea suspenderentur, Dione teste fuere concessa; in altera vero eadem Ancilia, quod à Martis Sacerdotibus Saliis ea fervarentur, cum Flaminum pileo, Apice dicto, sunt signata. Comitum huic jungo alium sub Antonino Pio Imperatore cum iisdem Ancilibus, & addito insuper eorum nomine profusum, (Fig. 6.) quorum intuitu opinio de anciliis in nummo Phidonis expresso statim opinor corruet.

Notandum autem hic venit, non duos, ut quibusdam videbatur, sed omnino sex Anciliorum clypeos in his nummis signari, ita compositos ut duobus juxta se collocatis tertius incumbat. Cl. Begeri hæc est sententia in Notis ad Flori lib. I. cap. 3. cui eo lubentius subscribo, quod ocularis inspectio eam defendat, & tueatur insuper Festus, qui *breve scutum Ancilæ* appellat, *ita ex utroque latere recisum, ut summum infimumque eius latius medio piteret*, planè qualiter id genus armorum in nummis efformatum cernimus. Suffragatur denominationis origo, quod Joachimo Camerario teste, Ancilia fuerint dicta, quasi *amcisa* hoc est circumcisa, à Præpositione antiqua *am*, *circum* olim denotante, ut Servius docet, & quem in sensum Ovidius Fast III.

Idque ANCILE vocant, quod AB OMNI PARTE RECISUM EST

QUEMQUE NOTES OCVLIS ANGVLVS OMNIS ABEST

Ab eadem opinione stetit etiam maximè inter eruditos nominis, famæque ad æthera notum Johannem Georgium Gravium, æterno elegantioris literaturæ detrimento paucis abhinc annis vivis ereptum, vel inde conficitur, quod Petri Josephi Cantellii, quem de Republica Romana conscripsit libellus, apud Batavos anno cels. DCLXXXVIII, recusus hujusmodi Ancilæ ære expresso condecoratur, eundem plane in modum delineato, quo hos clypeos in nummis agnoscî

agnosci debere ostendimus. Magni enim hujus Viri consilio iteratam hanc Cantelii editionem fuisse susceptam, eoque curata, Excusoris Epistola Opusculo præmissa dubitare non sinit. Addi etiam meretur, ut alios nunc mitam, Doctissimus Samuel Pitiscus, qui & ipse eruditas suas ad Suetonium Annotationes simili plane modo efficitis Ancilibus, cum Saliorum insuper solemnia peragentium simulacris ornare voluit ac illustrare. Quod tantorum Virorum suffragiis maximum opinioni nostræ pondus accedere posse arbitrer, Anciliorum exempla, in laudatis Suetonii ac Cantelii editionibus exhibita hoc loco præterire incuria foret. Ea en Tibi mi Lector, (Fig. 7.8.) adverte animum & judica.

Fig. 7. 8.

Sed de his hætenus, eum saltem in finem ut veritati subveniatur, & contrariæ opinioni, quam passim hætenus, & apud eruditionis haud proletariæ Viros, quos inter & laudatum sæpius Sperlingium numerare licebit, invaluisse, eorumque animis sinistrè admodum infedissee comperio, tandem aliquando eatur obviam. Nos his misis ad interruptum aliquantisper revertamur propositum.

Denarium removet pondus. Noster enim etsi magnitudine Denarium Romanum haud superet, triplo tamen crasior est, atque adeo Æginæo ponderi optimè respondet. Ad bilancem exactum duas cum Drachmas pendere deprehendi, non Atticas, sed Æginæas, quas quatuor obolis plus valuisse aut ponderosiores fuisse Atticâ è Julio Polluce & aliis constat: Valebat autem Drachma Atticâ sex obolos, Æginæa vero decem. Præponderat enim noster in trutinâ examinatus tres Drachmas Atticas, quæ octodecim obolos efficiunt, ut proinde ad viginti obolorum pondus, quod nempe in Didrachmo Æginæo requirebantur, quam proximè accedat; Justum enim, quo olim fuere signati, valorem proferre hodiè nummos non posse, nemo certè ambiget qui ævum adeo vetustum notissimamque temporis injuriam ac edacitatem vel obiter cogitaverit. Pondere sanè convenit cum Chelone seu Ægien-

Aegiesium nummo testudine insignito, quem ut antea vidimus Aeginæo pondere percussum esse cum Celeb Sperlingio non dubitamus. Constat hinc opinor, pondus quo minus à Phidone ipso hic nummus signatus creditur possit, planè non obstare; potius & illud egregiè eidem favore.

Favet etiam forma. Ea enim quod crassa sit admodum auctoritate defendi potest, atque ratione dilucidari. Auctoritatem suggerit Jul. Pollux, qui Drachmam Aeginæam ab Atheniensibus *παχίαν* i.e. *crassam* olim vocatam fuisse asserit. Auctoris verba, quod ad nummum nostrum optimè faciant, adscribi merentur: Ita ille lib. IX. cap.6. *ἀλλὰ μὴν τῆς μὲν Ἀιγιναίας δραχμῆς, μείζω τῆς Ἀττικῆς (δύνα γὰρ ὀβολὸς Ἀττικῆς ἴσχυει) ἢ οἱ Ἀθηναῖοι παχίαν δραχμὴν ἐκάλεσαν, μίσει τῶν Ἀιγινητῶν Ἀιγινάϊαν καλεῖν μὴ θέλοντες*, id est, *Veruntamen Aeginæam Drachmam, Atticâ majorem (decem enim obolos Atticos valebat) quam Athenienses crassam Drachmam vocabant, odio Aeginesium Aeginæam appellare nolentes.* Quibus verbis nummi nostri insolitam crassitiem illustrari, imo omnem ferè de eximia ejus vetustate tolli controversiam, quilibet opinor mecum censebit. Hujusmodi enim nummos, etsi Aeginetarum odio *crassos* ab Atheniensibus olim dictos perhibeat Pollux, non aliam tamen ob causam id eos fecisse probabile est, quam quod revera insigni crassitie eminuerint, ideoque *crassorum* nomen non immerito ipsis fuerit datum; cum Aeginetarum odium tantum sit accessorium. Notandum autem, quod jam monuimus, non omnes Aeginæo pondere percussos nummos eandem crassitiem præferre, sed eos tantum, qui antiquissimis temporibus, Phidonis adhuc ævo, vel haud ita diu post ipsum fuere signati, quia posteriores ob rationes, de quibus mox agemus, majores plerumque sed tenuiores paullo observantur, cum gravitate tamen inter se conveniant. Majores etiam seu à posteris demum percussos Aeginetarum nummos innuere hic Pollucem, ex verbo quo utitur *μείζω*

colligitur, quod *majorem* significat, cum credibile sit crassiores illos, unde *μαχέων* nomen hi nummi obtinuerunt, Commodi ævo, quo Pollucem scripsisse constat, non adeo fuisse frequentes, ab Auctore etiam nostro haud forsitan visos vel versatos. Cur autem antiquissimi hi Aeginetarum nummi tam insignem præferant crassitiem, posteriores autem haud parum sint majores ac tenuiores, eorum vetustatem in causa esse contendimus. Experientia enim jam dudum comprobavit, nummos quo vetustiores eo etiam solere esse crassiores ac rudiores. Cujus rei ratio hæc dari potest, quod vetustis illis temporibus, atque primis nummi signati incunabulis, nummum non signaverint eo modo quo postmodum sunt usi, quum nempe, antequam nummum malleo & formis subjicerent, metallum liquefactum modulo, ex argilla vel alia materia confecto, nummiq; formam ac figuras exacte referenti infundebant, ac tum demum nummum ita fufum, marculis seu formis admotis percutiebant; quo facto nummos, etsi anaglypho satis eminenti, non adeo tamen crassos ac incultos ex officinis produisse intelligimus, ac primis illis temporibus, & ante modulorum horum futuriorum inventum, cum non nisi rudi metallo, ignis admiculo in globulos coacto, formis adhibitis nummus produceretur. Tum enim marculis seu formis ut parcerent, neve sæpius eæ frangerentur, necesse erat non validè adeo neque tam diu malleis eos fatigare, unde nummi crassiores, & non ita scitè efformati fuerunt relictæ, planè qualiter in nostro id contigisse vel solus nummi conspectus evincit. Omnes enim quos unquam vidi, quosque numero haud contemnendo in Regia Brandenburgensi Gaza asservo, Græcos nummos argenteos crassitie & rudi quadam fabrica superat.

Accedit insuper argenti puritas, quæ tanta perfectione in hoc nummo radiat, quantâ vix in alio invenias, ut credibile sit ex argento purè è fodinis effosso, quod *gudies Silber* nostrates appellant, nulla separationis arte pu-

purificato vel adulterato , quam vetustis iis temporibus nondum penitus fuisse cognitam , vero non est absimile , eum fuisse conflatum. Non meis verbis hoc enuntio , sed fide intelligentium Regiæ hujus urbis Aurificum , qui mo flagitante examen instituentes , nummum argenti puritate Consulares quos vocant , & Imperatorios Romanorum nummos haud parum superare deprehenderunt , atque adeo meam de eximia hujus nummi vetustate sententiam & hac in parte haud leviter adjuverunt. Ut proinde pro vera hujus nummi fide vel hinc fulcra surgant oppido firma. Minimum opinor constabit , hanc ipsam , quam velut indubium novitatis indicium taxasse in eo videtur Vir Eruditissimus , exiguam videlicet rarissimi hujus nummi formam , cum crassitie eximiæ & prorsus insolitæ , ut antea monuimus , ea sit conjuncta , genuinam ejus vetustatem maximè , imo unicè tueri. Mirari hic haud parum subit , Eruditissimum Virum de nummo nunquam viso , cui ceteroquin , ut in progressu patebit , inscriptio , typus , & unanims Auctorum consensus suffragantur , ausum fuisse ex sola magnitudinis nota pronuntiare , omnemque ipsi de negare fidem ; cum non ex magnitudine solum , sed & ex crassitie certum de nummorum pondere eorumque valore judicium capi possit ac debeat.

Quæ à Celeberrimo Viro adversus elegantissimi hujus nummi fidem ulterius afferuntur , nihilo sunt firmiora. Quo enim effato suo & in reliquis inhæreat , pag. 12 hæc subjicit : *ΦΙΔΟ in nummis significabit , non ab ipso cussum , sed in ipsius memoriam , qui nummos . m usuras & pondera curavit , ab aliis cussum , & Phidonii ponderis seu gravioris , non vero Artici seu levioris esse. Nam Phidonem pondere imitari potuerunt seri posteri in nummis cudendis , Phidonis autem nummos nisi Phido cudere nemo potuit. Quod ad postrema verba adinet , assentior utique Viro Doctissimo , ac firmiter credo , Phidonis nummos nisi Phidonem cudere neminem potuisse ; Posteros etiam Phidoneum podus in nummis imitatos itidem*

non nego, plura enim hujus rei supersunt exempla. Phidonis autem nomen in iis signatum, nil aliud indicare nisi tales nummos à seris demum posteris in Phidonis ejusque inventi memoriam fuisse percussos, hoc equidem verisimile mihi non videtur. Ego potius contendo nummos antiquos, solo Phidonis nomine insignitos, ad alium ac Phidonem referri non posse. Solo Phidonis nomine, inquam; alia enim ratio foret, si Urbis insuper, Regionis aut Insulæ alicujus nomen in eis signaretur, tum demum Doctissimo Viro accederem, atque tales nummos in hoc vel illo loco, cujus nomen in eis legeretur, in Phidonis ejusque inventi memoriam percussos statuerem; id quod apud Græcos in simili & aliis casibus subinde obtinuisse negari non potest, & evincunt exempla apud Goltzium & alios, qui Veterum Græcorum nummos tradidère, satis obvia. Sed quis credat Græcos, gloriæ suæ ac memoriæ apud posteros optimè alias consulentes, nummos procurdisse, sine addito loci, in quo signabantur nomine, sola ponderis nota vel inventoris mentione insignita; vereor ut vel unicum in Græco aliquo nummo hujusmodi casus exemplum ex tota antiquitate produci possit ac ostendi. Perpendent hoc mecum & ii, qui ΦΙΔΟΝΙΣ nomen in hoc nummo expressum de Rectore seu Præfecto Regionis, Urbis aut Monetæ intelligere, eumque ob typorum quandam in eorum, quos Goltzius aliique exhibent, nummis cum nostro similitudinem, Bœotis vel Thebanis tribuere forsitan velint? Judicent, an locum signati nummi indicantium literarum absentia, quæ tamen, ut infra adhuc dicitur, adesse omnino debuissent, ut adsunt ubique in Bœotiis vel Thebanis id genus nummis, hanc opinionem non illico rejiciat? Ut mittam hanc typorum convenientiam probabili ratione niti, cum referri commodè possit ad utriusque Gentis, Aeginensium ac Bœotorum arctissimam cognationem, quam pluribus adstruit Cl. Begerus. Sermo nobis hic est de Græcis. De Latinis enim novimus, Romanorum antiquissimos, seu pondera verius, Asses, Semisses,

& reliquas Asfis partes, etsi figuris alias non destitutas, sine literis plerumque, solo nummi valore, qui globulis, unciarum (non Asfium, ut idem Vir Doctissimus in dicto suo Opere id asserere videtur, & qua opinione deceptum, haud probabilia omnino hisce de nummis eum tradidisse doleo) notis in iis signatus occurrit, fabricatos; ita ut unicus globulus unciam, seu duodecimam Asfis partem, duo Sextantem, seu Asfis partem sextam, tres Quadrantem & sic deinceps, non Assem, Dupondium, Tressem in iis denotent. In Græcis vero talia exempla non reperiuntur, qui ad unum omnes vel Regis alicujus, aut Herois Regionis etiam, Insulæ vel Urbis, in quibus, ut dictum, signati sunt nummi nomen vel integrum, vel initialibus tantum literis, aut aliquo etiam monogrammate scriptum vel indigitatum, subinde etiam utrumque præferunt. Hac tamen cum differentia, ut jussu & auctoritate Principum signatos fuisse intelligamus eos, in quibus solum Regis nomen occurrit. In quibus vero præter Urbis, Insulæ aut Regionis alicujus nomen nullum aliud observatur, eos in locis vel liberis, vel hac prærogativa gaudentibus, quorum nomina sunt addita, esse percussos. Eos autem in quibus præter loci nomen Regis etiam, Herois, vel aliud Viri aut foeminæ, interdum etiam Numinis alicujus nomen est adjectum; à loci hujusmodi Populis vel Incolis, in Principis, Fundatoris, Herois, Numinis, Magistratus, vel alius cujusdam *ἑυππύτου* honorem, venerationem ac memoriam fuisse conflatos; id quod nisi res jam omnibus esset nota, sexcentis exemplis confirmari posset. Ita ut hæc abs ratione concludere auserim, nummos verè Græcos & antiquos, nulla prorsus inscriptione aut literis insignitos, si qui dantur, pro antiquissimis, ac in ipsis signati nummi initiis conflatis jure meritoque esse habendos. Talem in hac Regia Brandenburgensi Gaza reperisse mihi videor. Peloponnesiorum is est, testudine itidem & quadro insignitus. Eum quod literis careat, pondere etiam, crassitie & fabrica cum Phidoneo nostro ad amussim conveniat, æque

ac geminum alium, à Cl. de Wilde in Selectis Tab IX prolatum, in ipsis nummi signati primordiis, atque in Pollucis *πρυμνίου*, seu *Crassus* ab Atheniensibus sic dictis, numerare licebit, Phidonis adhuc ævo procufis. Credibile enim est Peloponnesios, Aeginetarum vicinos, Phidonis etiam subjectos, inventi commoditate permotos, utilissimam hanc argentum signandi artem imitantes, statim, & superflite adhuc Phidone, argenteos nummos procudisse; ita ut his Peloponnesiorum sine literis signatis nummis eandem cum Phidoneis ætatem tribuere ac vindicare audeam. Talis & alius ejusdem Regiæ Gazæ nummus, qui & idem admodum est crassus, atque Phidoneo nostro, si literas vel nomen excipias, & uvam, cujus loco caduceus ut videtur, ob Mercurii procul dubio ab Aeginetis, artium ac mercaturæ studiis, ut postea videbimus, maxime olim deditis, peculiari cultu honorati memoriam est expressus, exacte similis; quem quod idem signaturæ genius, puritas eadem argenti, idemque Aeginæum pondus utrinque deprehenduntur, ad alium ac Phidonem referri non posse haud opinor absurdè adeo existimo; ut proinde inter primos iste à Phidone signatos, antequam nomen adhuc ab ipso adderetur, reponi, atque ita pro antiquissimo nummi signati specimine haberi omnino mereatur. Hunc cum modo memorato Chelone, seu testudine signato Peloponnesiorum nummo, æque ac duos illos Wildianos, hic simul intue-

Fig. 9. 10. 11. 12. ri Lectori forsam haud displicebit. (Fig. 9. 10. 11. 12.)

Talium nummorum literis carentium eximiam vetustatem adstruentem audiamus etiam Celeb. Sperlingium: *Certum est, inquit p. 229. inscriptiones non statim cum nummis cufis legendas esse propositas aut insculptas, quin & has ipsas inscriptiones aliis temporibus auctiores factas quam olim; at quod ad figuras adinet, & notas ponderis, eas statim in nummis cufis ab initio percussas sentio, & quidem notas ponderis in multis cufis omisas esse, in multis etiam exstare, pro lubitu cudentis.* Priora sanè verba nummis nostris egregiè illustrantur ac

con-

confirmantur. De ponderis autem seu valoris notis quæ à Viro Clarissimo adduntur, se nempe statim ab initio in nummis notatas eas sentire, obiter monendum, in nummis Græcis tales mihi non innotuisse. Inscriptionibus quidem integris, v. g. ΔΡΑΧΜΗ ΔΙΑΔΡΑΧΜΟΝ. ΟΒΟΛΟΣ. ACCAPION, aliis, in haud ultimæ adeo vetustatis & sub Romanis demum Imperatoribus plerumque signatis nummis valorem determinari scio, non autem notis. In latinis quidem tales notas occurrere supra antiquissimi Romanorum Assis, & variorum ejus partium exemplis demonstratum dedimus, & firmant præterea in argenteis sub libera adhuc Romanorum Republica percussi Denarii, Quinarii, Sestertii, quorum illi litera X. numeri denarii notâ, quod denos Asses; Quinarii litera V. quod quinque; Sestertii autem literis IIS quod duos Asses cum Semisse iidem valuerint, plerumque sunt insigniti. Plerumque inquam, non enim sum nescius extare Denarios literis XVI. seu sedecim librarum nota insignitos, quales urgente necessitate, tempore nimirum belli Punici secundi, quo & Asses Unciales facti, in usu fuisse e Plinio discimus. In Græcis vero rem secus se habere vel inde clarum est, quod similes valoris seu ponderis notæ in iis hucusque nondum fuerint observatæ; ut proinde initio statim valoris loco figuram tantum fuisse positam, nullus omnino dubitem. Sed mirabitur, opinor, Eruditissimus Sperlingius, inter argenteos Romanorum nummos & Sestertium à me memorari; Ipsum enim tales nunquam custos statuere, ex sequentibus ejus verbis liquere arbitror. *In quatuor partes, inquit pag 229 nunquam Denarius distractus cussus est, ergo nec Sestertius unquam argenteus prodiit.* Et paulo post: *Hinc est quod nec Sestertii argentei supervenerint ulli.* Tales autem extare, inquit Principum Magnatum aliorumque Curiosorum antiquariis id genus scriniis nunc inde asservari affirmo. Vidi talem, cum Lutetiæ nuper commorarer, in Gaza Gallorum Regia, quam lustrare subinde Dignissimi illius Custodis, Humanitate pariter

riter ac Doctrinâ Celeberrimi Oadineti, beneficiò mihi licuit. Talem etiam observavi inter Cimelia Monasterii San-Genovefæ Parisiensis; Observavi & in Anglia inter nummos Pembrockianos. Et ne longè abeam duos verè antiquos ac integerrimos in hac Regia Brandenburgensi Gaza aservo, in quibus vel suspiciosissimus ne minimum quidem novitatis vel fraudis deprehenderet indicium. Conspicitur in iis ab uno latere caput Romæ consveto more galeatum, cum literis, ut dictum, IIS Dupondium cum Semisse, talium nummorum valorem, seu quartam Denarii partem indicantibus; Assis enim literam I. Semisis vero S. ponderis seu valoris notas in antiquissimis Romanorum æreis fuisse signatas inter Eruditos constat, etsi in reliquis Assis partibus, Triente, Quadrante, Sextante cæteris, non literis, ut monuimus, sed punctis sive globulis valor fuerit expressus; ab altero vero latere equis insidentes hastisque armati, in hostes velut irruentes salutaria tum credita Romanorum numina Dioscuri signantur, addito loci, ubi conflati sunt hi nummuli nomine ROMA. Horum quod rariores sint unum, nec ab aliis, si Claudium Boucherouë Gallum, libro quem de Francicorum Nummorum origine lingua vernacula conscripsit, Parisiis anno cō DCLXXI. impresso, atque Claudum Molineum in Musei San-Genovefæ Descriptione idioma te ident Gallico Lutetiæ anno cō DCXCII edita excipias, qui tamen negligenter satis, haud integre etiam depictos eos exhibent, hucusque, quod sciam, evulgatum, in Lectoris gratiam, quod horum Auctorum libri his in oris paucorum manibus terantur, è laudato Regio Brandenburgensi Cimeliarchio accurate delineatum hic simul proferre à loco haud forsan omnino erit alienum (Fig. 13.)

Fig. 13.

Talis etiam inter Consulares quos vocant, seu stante adhuc Republica à Fulvio Ursino primum editos, à Carolo postea Patino, & haud ita pridem à Johanne Vaillantio resuturos & auctos Familiarium Romanarum nummos

mos mihi videtur agnoscendus , etsi à Celeberrima hac Antiquariorum triga pro tali omnino non sit traditus. Posset enim mirum alicui videri, in manus excellentium adeo Virorum , qui de Romanæ Rēpublicæ nummis, quibus merito sestertius est annumerandus, ex instituto egerunt, eosque summa cura collegerunt ac illustrarunt, talem non incidisse. Occurrit ille inter eos quos laudati Auctores ob nominis Familix alicujus in iis defectum sub *Incertorum* titulo proposuerunt. Eundem ille cum nostro præertypum, hæc differentia, quod retro caput Romæ sola spectetur litera S. hunc in modum (Fig. 14.)

Fig. 14.

Conjicio enim reliquas duas literas *U.* quæ superiori S. si jungerentur integrum Sestertii signum constituerent, vel temporis injuria ablatas, vel Sculptoris incuria, ut fieri creberrimè amat, in exiguo hoc nummulo fuisse prætermittas. Conjecturæ patrocinator litera Q Quinarium indicans, quæ nummi hujus magnitudinem video connotatam Sestertii enim eandem fere cum Quinariis obtinent magnitudinem neque facile nisi sola tenuitate ac ponderis levitate plerumque dignoscuntur, cum Quinarij crassiores, ideoque ponderosiores esse soleant. Accidere hinc potuit, ut pondus non attendentes Viri Docti, Quinarium crediderint, qui revera in Sestertium fuit percussus. Nisi quis solam literam S. pro valoris notâ habere, ac Sestertium eâ indigitari statuere malit, cui equidem hæc non ero contrarius; etsi prior sententia mihi magis arrideat, quod plurimis ea exemplis firmari possit, hæc autem ne unico quidem defendi. Silentio adhuc præterire hinc non possum, magnopere non semel me fuisse miratum, Viros Doctos modo laudatos, Urfinum, Patinutū ac Vaillantium, in locupletissimam alias Consularium, quam vocant nummorum Collectionem Quinarium non inseruisse. Non de Quinario, qui formâ & pondere talis est loquor, quorum plures in Eorum libris extare probe novi; sed nummum intelligo Quinarij nota insignitum, qualem apud Eosdem frustra quæsieris. Hujusmodi enim valoris notam præferens Quinarij, etsi parum vulgò sint obvi, non adeo tamen

tamen sunt rari, quin à Viris, hisce de nummis inprimis sollicitis haud paucos fuisse inspectos ac versatos certo liceat statuere. Plures sanè in Cimeliarchiis hinc inde se mihi obtulere, neque etiam custodiæ meæ commissa Regia Brandenburgensis Gaza tali destituitur. Idem in iis, qui & in Sestertiis cernitur typus, exceptâ valoris notâ, quæ in Quinariis litera V. indicatur, quod quinque Asibus æreis ii permutarentur, cum Sestertii Dupondium cum Semisse valuerint, ideoque literis IIS. fuerint signati Quinariii icon à Clarissimi nominis Viro Claudio Molineto in antea laudata ac erudita Musei San-Genovesæ Descriptione exhibetur. Cum perfunctorie nimis depicta ea sit tradita; ipse etiam liber à perpaucis nostratium sit visus, rem Lectori haud ingratham me facturum judicavi, si mea manu accuratè delineatum Quinariii Regii Brandenburgensis *ἑκτοῦτον* hîc una proferam. (Fig 15)

Fig. 15.

Ad sestertium ut redeam, subit suspicio annon ejus defectus in Ursini, Patini ac Vaillantii Operibus, in quibus tamen necessario occurrere debuisset (etsi eorum unum ibidem me agnovisse modo ostendi) ansam præbuerit Doctissimo Sperlingio, ut tales nunquam culos libere adeo statuerit. Idem certe & aliis, quibus nummos ipsos versare nunquam contigit, simili auctoritate adactis accidere potuisse nemo mecum diffitebitur; dubitare enim quis posset, an & pro genuinis ac vere antiquis sint accipiendi quos laudati Auctores Boutherouë ac Molinetus edidère, cum de Romanæ Reipublicæ nummis ex instituto non egerint? Idem sane Sperlingius Quinariium à Romanis signatum vel ideo fortè haud negavit, quod plures eorum in Ursini, Patini & Vaillantii Collectionibus reperit, licet nullos nisi qui sint pondere ac valore tales; cum ut diximus Quinariii notatū in hac Collectione adhuc desiderentur. Sed de his *ἰς τὴν παράθεσιν*, & occasione notarum ponderis sive valoris quibus nummos olim signatos ac distinctos fuisse comperimus. Vocat nos Institutum.

E superioribus jam abundè satis constare arbitror,
quam

quam fidem mereantur pag 191 sequentia Celeberrimi Sperlingii verba : *φΙΔΟ, in nummis aliud non indicat, quam nummos & mensuras Phidoneas in illis locis superesse, quorum nomen additum.* Optarem sanè indicasset Vir Doctus ubi tales nummi reperiantur, in quibus præter Phidonis & loci alicujus nomen occurrat, & antales viderit, mihi enim omnino sunt ignoti. Nummorum Phidoneorum typum quidem à posteris, qui pondus Æginaum in nummis servarunt, expressum, Ismeniorum & Astyrenorum, quique in paucis tantum ab iis differunt, Bœotiorum etiam ac Thebanorum exempla, apud Goltzium, unde desumpta ea hic apponimus (Fig. 16.17.18.19.) Fig. 16.17.18.19 extantia testantur.

Verum in quibus non Phidonis, sed harum urbium nomina esse signata quilibet utique videt; *neque etiam Phidonis nomen in iis signari opus erat* (ut Doctissimi Sperlingii verbis, etsi in contrarium d. l. prolatis utar) *cum Phidon jam dudum in fata concessisset quando hi nummi cudebantur.* Quod postremum, hos nempe Ismeniorum & Astyrenorum nummos post Phidonis ætatem à posteris demum fuisse percussos, vel ex sola insuper horum nummorum forma evincitur. Eos enim, etsi Phidoneo nostro, ut ex addita per Goltzium litera δ quartæ magnitudinis nota colligitur, sint majores, non ideo tamen plus valuisse, aut ponderosiores fuisse, Ægiensium nummi literis insigniti, ac supra exhibiti, quique magnitudine cum his convenit exemplo fit probabile, quod Phidoneus crassitie eos superet. Nummos autem quo vetustiores, eo etiam esse crassiores experientia teste & rationibus, Pollicis insuper auctoritate probavimus. Bœotiorum ac Thebanorum alia est ratio. Ex notis enim à Goltzio additis 6. & 7 patet non Didrachmos eos fuisse, ut Phidoneus & reliqui, sed Drachmales tantum, vel Semidrachmales ideoque forma minores. Ut proinde, his denuo probè perpectis ac perpensis, clare utique pateat, nummum nostrum, in quo præter Phidonis nullum aliud Regionis,

Urbis aut Insulæ nomen signatum occurrit, æque ac alterum Phidoneo nostro demptis literis ex asse similem, alii ac Phidoni non convenire, ideoque jure meritoque tribui ei debere.

Animo pendentem Te adhuc contueor, mi lector, & quidem ad illa in limine à nobis allata Clarif. Sperlingii verba: *Exstant Phidonei nummi, apud antiquarios. Conciliare enim nequis, qui fieri possit, ut ex vetustatis tam remota, quos nongentis & ultra ante Christum natum annis signatos Eusebius & alii narrant nummis, plures hodiernum supersint; cum plerumque, ut reliqua in genere omnia, ita & nummi, quo vetustiores, eo etiam soleant esse infrequentiores ac rariores? Hoc dubium quod spectat, negare quidem non ausim, fundamento illud omnino destitui, non adeò tamen est firmum, ut nullam prorsus admittat exceptionem. Norunt enim æruginosas has merces tractantes pretium ac raritatem nummi non continuo ad antiquitatis vel temporis normam esse exigendam. Romani enim, & sequioris ætatis nummi sæpe sæpius rariores sunt; ac pluris veneunt Græcis, licet tempore longè vetustioribus. Ex pluribus etiam à Phidone nostro sine dubio signatis unum vel alterum adhuc superesse, ac temporis injuriam effugere potuisse, haud absurdè adeo credatur; de quo tamen, an exempla alibi existent ac proferri possint mihi huc usque non liquet. Dempto enim nostro, ne unicum quidem alium hoc Phidonis nomine insignitum ab aliis traditum vel memoratum videre aut observare mihi adhuc licuit. Ut hinc denuò constet quam fidem mereantur atque assensum à M. J. supra Doctissimi Viri verba: *φιδὸν ἐν νομισμασὶν οὐδὲν ἄλλο ἐπισημαίνει, ἢ τὸν ἀριθμὸν τῶν νομισμάτων καὶ τὰς μετρήσεις τῶν φιδόνων ἐν τοῖς ἐπισημασμένοις τοῖς τόποις, ὧν τὸ ὄνομα ἐπισημαίνεται.* Tale quid enim in usu si fuisset olim, nummi Phidonis nomine signati hodiè tantum non forent vulgatissimi, nec unicum occurreret nummophilacium quod hisce Phidoneis nummis non foret instructum; Phidoneum enim pondus in plurium urbium nummis fuisse ser-*

servatum allatis modo exemplis demonstravimus. Sed contra clamat experientia, testis hoc in foro omni exceptione major; nusquam enim talem nummum extare, nec à quoquam exceptò Begerò traditum huc usque vel memorum modo innuimus. Adeo ut quâ fide apud Antiquarios tales extare affirmet Cel. Sperlingius, me quidem plane lateat.

Si obijcere porro velis nummi nostri figuras scienter admodum & nimis artificiosè esse cœlatas, ut tanta artis peritia vetusto illi ævo convenire vix videatur, omnem hac de re hæsitacionem Pausaniæ auctoritate eximi Tibi posse confido, cui Æginetarum opera apud Græcos maxime olim decantata memorantur. Eum audi de pervetusto Herculis signo, apud Erythræos olim percelebri verba facientem: *ὃ δὲ ἀγάλμα, inquit, lib. VII p. m. 533. εἴ τι τις καλεσμένοις Ἀγιναιῖς, εἴ τι τῶν Ἀττικῶν τις Ἀρχαιοτάτοις ἰμφορέϊς; εἰ δὲ ἢ καὶ ἄλλο, ἀκριβῶς ἐστὶν Ἀγυθπῆον, i. e. Ipsum sane simulacrum ne ve iis quæ Aginea vocantur, ne ve Atticorum vetustissimis consimile est; & sane si quid aliud, est plane Agypium.* Vides Benevole Lector, Operis Æginæi simulacra memorari, eaque Atticis ac Ægyptiis in enumeratione præponi, ideo procul dubio quod reliquis arte præstarent. Idem Pausanias Dianæ Dictynnææ apud Ambryssenses Templum describens lib. X. p. m. 890. hæc subjicit: *τῷ δὲ ἀγάλματι ἱερυσία τί ἐστιν Ἀγιναιῖα, καὶ μέλαν τὸ χρῶμα ποικιλιῶν.* *Signum Aginææ artis est, è nigro lapide elaboratum.* Imo ejusmodi simulacra à Græcis olim generali nomine Aeginæa fuisse appellata ex eodem Pausania liquet. Ita ille de Æde ac Signo Dianæ Limnatidis seu Palustris in Laconico agro olim percelebri, Lib. VIII. pag. m. 708. *τὸ εἶδος δὲ τῆς ἱερυσίας ὁ Ἀγινῶν καλεῖται ὑπὸ Ἑλλήνων.* *Operis forma ejusmodi, quæ à Græcis Aginea appellantur.* Ut hinc constet nec cœlaturæ concinnitatem nummo nostro adversari, quin potius pretium ejus vel hinc haud leviter adaugeatur, quòd in eo adhuc hodiè intueri nobis liceat reliquias ac vestigia artis, magno olim in pretio

pretio à Græcis habitæ ac præ cæteris celebratæ. Hoc etiam Æginetarum in artibus studium utilissimo nummi cudendi invento, quò Phidon subjectorum emolumenta promovens postea est usus, januam procul dubio aperuit. Hinc certè facili negotio conciliari posse arbitror discrepantes Veterum Auctorum sermones, quorum alii Phidoni, Æginætis alii hoc inventum vindicant; quia de invento hi, quod Æginætis debetur, de inventi vero usu, quem Phidon primus instituit, fuerint illi locuti.

Verum enimvero, etsi nummi nostri legitimos naturales jam plenè satis, imo cumulatè fartos tectosque esse redditos liceat statuere, leviora tamen dubia, quæ in Lectoris animo forsan insidere, Eumque ab assensu cohibere etiamnum possent, remove, omnemque suspicionis ansam præcidere penitus ac eradicare operæ adhuc erit pretium. Et primo quidem ambigere quis possit, an & litera ϕ quæ in principio inscriptionis nummi Phidonei expressa cernitur, tantam vetustatem ferat; cum hæc litera in Græco Cadmi sexdecim literarum alphabeto non occurrat, & non nisi in Attico Simonidis Melici observetur, quod tamen circa annum D. ante Christum natum, & ita CCCC circiter post Phidonem annis demum invaluisse perhibetur? Cur etiam Phidonis nomen per omicron in hoc nummo sit scriptum, quod per omega fuerit scribendum? Et annon potius $\phi\text{H}\Delta\text{ON}$ cum Polluce, vel $\phi\text{I}\Delta\text{ON}$ cum Strabone & aliis, quam $\phi\text{I}\Delta\text{O}$ fuisse signandum. Ad postremum, seu ad differentiam scriptiois quod adinet, de ea jam egit Cl. Begerus l. c; qui hujus nummi fide, & suffragante insuper Plutarcho, non $\phi\text{I}\Delta\text{ON}$ neque $\phi\text{H}\Delta\text{ON}$, sed omnino $\phi\text{I}\Delta\text{ON}$ veram hujus nominis lectionem adstruit. Quod autem $\phi\text{I}\Delta\text{O}$ nummus præferat, non $\phi\text{I}\Delta\text{ON}$ aut $\phi\text{I}\Delta\text{ON}\text{O}\Sigma$, scrupulum inde nemo hauriet, cum in vetustis id genus Græcorum nummis tales literarum omissiones frequentissimæ sint, Cælatorem etiam id ideo fecisse credi possit, ne dispar literarum ordo in altero nummi latere oculo foret ingratus, ideoque
talc

tale quid ut evitaret ϕΙΔΟ ponere maluerit quam ϕΙ.ΔΟΝ vel ϕΙΔ-ΟΝΟΣ, quemadmodum alias fuisset scribendum. Alteri dubio, cur nempe ϕΙΔΟ per *omicron*, non vero ut debuisset per *omega* in nummo scriptum legatur, nemo melius, si quid iudico, faciet satis ac Illustrissimus Spanhemius jam sapius laudatus, laudum vero titulos omnium dudum supergressus. Ita ille Diss. II. p. m. 98. *Quibus vero*, inquit, *anti vae Græcorum scripturae in vetustis id genus nummis vestigiis ii quoque accenseri debent, in quibus nondum reperta Scilicet a Simonide litera Ω, aut certe nec dum eadem in Alphabeto Ionico XXIV. literarum recepta, ejus locum O demum obtinet.* Ait Vir Excellentissimus, nondum reperta à Simonide litera Omega, ejus locum obtinuisse omicron in vetustissimis Græcorum nummis; quod assertum, præter exempla magno cumulo ibidem ab Eo memorata, nummus noster egregiè utique comprobatur atque firmatur. Suffragatur & Aristoteles, qui, Plinio Lib. VII. c. 56. teste, hanc literam O in prisca seu Cadmæis Græcorum literis recenset, Ω vero omittit. Tertium dubium nihilo firmiter est. Litera enim ϕ etsi in vetustissimo Cadmi XVI. literarum alphabeto Græco non compareat, eidem tamen belli Trojani tempore, quadringentis circiter ante Phidone annis accessisse, à Palamede videlicet adjectam, Plinius l. c. auctor est: *atque constat*, inquit, *in Græciam intulisse è Phœnice Cadmum literas XVI. numero; in quibus Trojano bello Palamedes adjecisse nativam hac figuram ϕ. x.* Imo jam in prisca Cadmi alphabeto hanc literam initio statim locum obtinuisse, idque non XVI sed XVIII omnino literis constituisse ex eodem Aristotele Plinius allegato libro memorat. Sed hæc penitus discutere non est hujus loci. Sufficit demonstrasse, ut in reliquis, ita & in literis seu inscriptione elegantissimi hujus nummi nihil inveniri, quò fides vel genuina ejus vetustas dubia reddi aut convelli saltem aliquo modo possit; potius omnia quæ jam verè antiquo ac optimæ notæ nummo à suspicio-

ismo quoquam desiderari possunt, in eo occurrere, nihilque ob stare, quo minus ille primis à Phidone ipso in Ægina Insula signatis annumeretur, primasque teneat eos inter qui ob eximiam quandam vetustatem in deliciis haberi solent, maximaque custodiri cum cura merentur.

Ad typum quod adinet, ex iis quæ Cl. Begerus loco citato luculenter satis ac erudite de eo disseruit, haud obscure, opinor, elucebit, & eum Phidoneo nummo aptissime convenire. Urceus in eo expressus quid indigitet, nisi mensuras à Phidone inventas? Ponderus Æginaeum, quod, ut supra vidimus in eo deprehenditur, & nummi materia; quid, nisi in Ægina Insula? Phidonis nomen quid, nisi ab ipso Phidone eum esse constat? Auctorum locis hæc firmantibus, quod ab aliis ea jam sapius sint allata, adscribendis supersedeo. De Ponderibus ac mensuris à Phidone inventis testantur Strabo, Plinius, Pollux, Herodotus, Eusebius in Chronico, alii. De nummo argenteo primum ab eo in Ægina cuso, præter alios Strabo, Pollux, Aelianus, Etymologici magni Auctor Unicum addam locum, nummo nostro optime patrocinantem, quique ab aliis qui de Phidone ejusque nummis hæctenus egere, quod equidem sciam non est visus. Talem suppeditat nobis aliud quoddam Antiquitatis monumentum, raritate ac pretio maxime conspicuum, Marmor, inquam, ducentis sexaginta & quod excurrit ante Christum natum annis exsculptum, celebriores Græcorum Epochas continens. Exstat illud inter marmora Arundelliana seu Oxoniensia, ab Eximiis doctrina Viris Humphrido Prideaux, Thoma Lydiato & Joh. Seldeno edida ac illustrata. In eo v. 45. 46. sequentia leguntur: ΑΦ ΟΥ Φ. ΔΩΝ Ο ΑΡΓΕΙΟΣ ΕΔΗΜΕΥΣ. Ν... ΕΙ..... ΕΣ ΚΕΥΑΣ Ε ΚΑΙ ΝΟΜΙΣ ΜΑ ΑΡΓΥΡΟΥΝ ΕΝ ΑΙΓΝΗΙΕΠΟΙΗΣ ΕΝ..... Quæ caractere communi, cum lacunarium supplementis ita reddit Thomas Lydiatus: Αφ' ε' φειδων ο Αργειος εδημοσευσε εν Αργει, η ημισια, η εδωκεν ιουκισσε, η νομισμα αργυρον εν Αιγλην ποιησεν. i. e. A quo Phidon Argivus Argis Rempublicam administravit.

nistrabat, mensuras & pondera fecit, & nummum argenteum in Aegina cudit. Quem locum ex tam vetusto ac probæ notæ monumento eo lubentius huc transcripsi, quod in specie de nummo argenteo in Aegina Insula à Phidone signato, testimonium exhibeat, ut luculentum, ita & gravissimum. Clypeum Bœotium quem nummus præfert ad Aeginensium cum Bœotis cognationem; quam firmant etiam typi nummorum utriusque populi, ut supra monuimus; vel ad Herculem, quod Thebanus is ac Phidonis Progenitor tali clypeo in bellis fuerit usus, vel ad Aeginensium etiam fortitudinem, maximè olim decantatam spectare, laudatus Begerus arbitratur, qui assertum auctoritate Pindari ejusque scholiastæ aliorumque fulcit. Sub uva vel antiquissimum Insulæ nomen, vel incolarum originem latere idem Begerus conjicit, cum *ἄνω* vinum dicatur, Insula vero *Ὀνώνη* juxta Stephanum, vel *Ὀνωρία* juxta Pindarum olim fuerit nominata; Incolas autem ab Argivis, vitium copia, Homero teste olim nobilitatis, descendere Pausanias memoret, etsi etiam ad vasis in nummo expressi usum uva referri possit, vel ad Bacchi cultum, cujus in Aegina templum fuisse ex eodem Pausania liquet. Quanquam, ut hoc addam, vase hoc vel urceo, Ollam Aeginetarum Patriam commode præfigurari posse arbitrer, quo poculi genere Insulares istos plerumque usos Jul. Pollux Lib. VI. c. 16. ex Herodoto narrat; *Ἀργίνας δὲ φησὶν Ἡρόδοτος, πίνειν ἐκ χυτρῶν ἐπιχρησίων*, i. e. *Aginetas autem tradit Herodotus, bibere ex ollis patriis.* Sed hæc, quod plana sint omnia, ulteriore probatione non indigent.

De Phidone ipso præter Cel. Sperlingium ac laudatum Begerum plura congestere Thomas Lydiatus ad marmoris Oxoniensis supra à nobis allegati locum, & Erasmus Vindingius in opere nuper demum in Antiquitatum Græcarum Thesauri, à magni nominis Viro Jacobo Gronovio congesti Tomo XI. bono Reipublicæ literariæ fato edito, *Hellen* inscripto, & alii. Hinc novimus Phidonem

nostrum Argivum fuisse, ex Temeni posteris, ab Hercule decimum ac Carani, Macedonici Regni fundatoris fratrem. Filium eum fuisse Aristodamidæ, Acoi nepotem, Thestii pronepotem, Maronis abnepotem, atnepotem Cisi; Majoribus suis Argivorum Regno dejectis, Corinthi eum in exilio & natum & educatum, Regnique recuperandi occasionem nactum, vi & armis illud adortum, cum Argivos tum cæteros Peloponnesios sibi subjecisse, omniumque sui temporis in Græcia Regum evasisse potentissimum. Primum eum argenteum nummum in Aegina signasse, eò consilio ut insula incolis frequentatissima, sed admodum sterili hoc invento consuleret, & commercia maritima promoveret. Signatos ab eo nummos fuisse rotundos, cum ante ipsum obeliscorum seu veruum figuram iidem obtinuerint, ideoque ὀβελίσκοι & ὀβελῶς, unde obolorum nomen, fuerint dicti, ut bene adstruit eruditissimus Sperlingius. Mensuras Corinthi in exilio inventas, ab ejus nomine Phidoneas à posteris fuisse denominatas; Pondus etiam, Aeginæum postea dictum, quod ut sæpius monuimus, in ejus nummo observatur originem ab eo traxisse; In Eubœa Argolidis Regiuncula, non in Eubœa Insula, ut perperam quidam credidere, eundem Phidonem aureum etiam primo percussisse nummum, Euboicum eadem ratione à loco dictum, quâ argenteus in Aegina signatus Aeginæus à loco postea fuit denominatus, unde Drachmæ ac Talenta Aeginæa & Euboïca nomina obtinuerunt, & pleraque alia quæ à memoratis clarissimi nominis Viris pluribus traduntur, idoneisque firmantur Auctorum documentis. Nos ne actum agere videamur, neve Lectori, diutius forte quam par erat detento, superfluis vel minus necessariis oneri sumus ac tædio, filum hic abrumpimus, eo lubentius quod præter defensionem præstantissimi hujus nummi nihil susceperimus, cui tamen argumento in superioribus affatim ac luculenter satis à nobis esse satisfactum, spe haud forsitan inani confidimus.

Neque enim quenquam fore arbitror qui Phidoneum nostrum nummum ex eorum numero contenderit, quos Cavinus ejusque socius Basianus, aliique similis farinae impostores nummarii secundum antiquitatis normam superiori saeculo efformaverunt; cum credibile non videatur, ut alia nunc mittam, omnia quae in hoc nummo occurrunt, genuinae antiquitatis, imo vetustatis remotissimae nummorum, Auctorum testimoniis rationibusque probata ac suffulta, insignem nummi crassitiam, argenti ex quo conflatus est puritatem ac praestantiam, quodque in eo observatur Aeginaeum pondus, literarum ductus, fabricae genium, typi denique concinnitatem ac convenientiam, omnia haec, inquam, Falsarium si quem supponamus, commanisci potuisse atque strictè adeo observare, ut hinc inde non impegerit, fraudisque, quibus ut Sorices prodere plerumque se solent, non unum vel alterum reliquerit indicium; cujus rei tamen neque volam, ut ajunt, nec vestigium in hoc nummo vel Argus ipse deprehenderet; hujusmodi etiam à Falsariis conflati nummi, quod magno numero eos excuderint frequentissimi ut plurimum sint, omniumque manibus terantur, cum noster, qui Regiam ornat Brandenburgensem Gazam, alibi ut diximus non reperiatur, summa proinde fulgeat raritate, ut pro unico huc usque, auro contra pretiosiore, argenteorum utpote, imo omnium in Graecia signatorum nummorum vetustissimo haberi ac aestimari summo jure mereatur.